

HILDERICI EPISTOLA METRICA.

(Apud Muratori, *Rer. Italic. Script.*, tom. II, part. II, p. 266.)

Hic opifex mundi, verbo qui cuncta creavit,
 Ex nihilo finxit omnia nempe simul.
 Absque labore labor, cui posse et scire quod esse;
 Cujus opus velle est, cui labor alta quies.
 Laudet eum hinc cœlum, cuncta et cœlestia semper
 Luminis angelici castra beata nimis.
 Laudet eum tellus, omnisque creatio mundi,
 Omne genus hominum, reptile, belva volans,
 Dicunt, dicamus: Tibi sit, rex, gloria perpes,
 Omnia qui retines, jure regisque tuo.
 Te decet omnis honos, tibi virtus, gratia cessit;
 Quem digne metuunt, inferus, arva, polus,
 Une ac trine Deus, Lux et Sapientia vera,
 Regnum immortale ut sine fine tenes,
 Tempora tu condens solus, et sine tempore regnans;
 Vere ut principium, sic tibi finis abest.
 Principium et finis, primus, novissimus es tu,
 Quem currunt infra tempora, sæcla, dies.
 Cuncta arcens mutas, et non mutaberis unquam.
 Semper eras, qui nunc, semper erisque manens.
 Quem cherubim, seraphim cunctis cum cœlibus orbis

A Proclamant sanctum, concelebrantque, tremunt.
 Tu pietas, bonitas, requies, patientia, paxque,
 Vita, salusque, decus, castus amorque, timor.
 Simplicitas prudens es tu, prudentia simplex,
 Te recte metuit mundus, adorat, amat.
 Quæsumus ut cœli cito des mihi tegmina, Christe,
 Una et laudemus te tua membra caput.
 Longanimis, verax, fortis, mirabilis, alma,
 Terribilis, mitis, suscipe vota precum.
 Cunctorum factor, tu censor, tutor, et altor,
 Rex regum, populo parce tremende tuo.
 Confer opem famulis, veniam da, destrue culpas,
 Dæmones expelle, noxia cuncta fuga.
 Duc cœlis plebem, tuus emit quam cruor Agni,
 Denuo quam peperit Spiritus, atque latex:
 B Respice propitius gemitum, suspiria, voces,
 Ad te clamantum, ac miserere pie.
 Sancte tua Jesu sic morte tuere Redemptor,
 Pestiferus perimat ne leo, sive draco.
 Sit tibi Cunctipotens benedictio, sitque potestas
 Sæcla per immensa, sit vigor omnis. Amen.

ANNO DOMINI DCCCXXXVI.

AHYTO SEU HETTO

BASILEENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN HATTONEM.

(Apud Fabricium, *Biblioth. med. et infim. Lat.*)

Hatto sive Haddo, Hetto, Ahyto, Haydo, Haitho, Otto, ex Angiensis cœnobii abbate episcopus an. 806 Basileensis, a Carolo Magno an. 811 cum Hugone (a) Turonensi et Ajone Aovileo missus ad Nicephorum imp. Græcorum de pace et limitibus imperii constituendis. Sed Hodæporicum quo iter illud suum descripsit, hodie nusquam exstat. Senex ad Angiense cœnobium reversus obiit, an. 836 (b). Visiones S.

(a) In *Annalibus Pithæanis* inter XII scriptores, pag. 22, et apud Anonymum Mellicensem, c. 43,

C Wettini, monachi Angiensis prodire cum visionibus Hillegardis de quibus infra, et in Mabillonii sæc. IV Benedict., pag. 263. Capitulare ad presbyteros diocesanos Basileensis circa annum 827 promulgatum, capitulis 25 publicavit. Dacherius tom. VI *Spicileg.*, pag. 961 (*Editionis novæ* Tom. I, pag. 584, 586), unde in Conciliorum tomis repetitum a Labbeo, Harduino, Coletto.

hic vocatur Bugo.

(b) Miræus, Caveus et alii ex Hermanno Contracto.